tuam rei memoriam taliter permansuras.[t] Porro cum ~~Radol-~~
Chron. quor. reg. ~~phus~~ ~~rex~~ Romanorum rex[u] Radulphus[v] convocata solempni curia[49]
principum et prelatorum apud Herbipolim[w] cum domino papa
Martino IV.[x] concordasset, quod ab omnibus terris cultis totius
regni Germanie certam ipsi simul vellent exigere pecunie quan-
titatem, prefatus dominus Syfridus, sicut vir constantis fuit
animi, huic inaudite exactioni primus inter prelatos ecclesiasticos
mira constancia contradixit, et sic eiusdem archiepiscopi probitate
res ipsa remansit infecta, et patria fuit ab huiusmodi gravi ex-
actione usque in hodie liberata. Hoc quidem in loco occurrit congrue
advertentendum, quomodo[y] ante tempora legis tempore scilicet[z]
gentilitatis, dum Joseph tempore famis Egiptum opprimentis (1. Mos. 47, 20 ff.)
totam terram Egipti redegisset in servitutem regis preter terram
sacerdotum, quam contulerant[a] ipsi[b] reges ~~sacerdotibus~~ ipsis[c]
sacerdotibus, ultra portionem terre eis datam et liberam a ser-
vitute dimissam, dabantur[d] eciam cibaria ex publicis horreis
regis ad victum ipsorum cotidianum. Considerent igitur nostri
temporis principes catholice fidei cultores[e], quomodo gentiles
immundi suis sacerdotibus in servicio deorum nephandorum
deservientibus[f] ex publicis horreis stipendia ministrabant.
Tamen[g] econverso principes et milites nostri venerabilibus[h]
corporis[i] et sanguinis Jesu Christi consecratoribus id solum
dimittunt, quod rapere[k] nequeunt, tota duntaxat vita sine[l] liber-
tate eisdem relicta, et corrosis altaribus pauperes sacerdotes uni-
cum paupertatis habent solacium, oblaciones scilicet[m] pauperum
manducare, et ipsi patronos se nominant ecclesiarum, qui
potius sunt predones et auctores rapinarum. Et utinam soli[n]

[49] Ista curia celebrata est 1287 m. Martio praesente Johanne episc. Tusculano ap. sed. legato, v. Boehmer reg. ~~imp.~~ Rudolfi.

t) permansuros 3. u) rex deest 3. v) Rodulphus 1. w) Herpipolim 1.3. x) Mart. p. IV. 4.4'.4''.
y) quoniam 4.4'.4''. z) scilicet deest 3. a) contulerat 3. contulerunt 4.4'.4''. b) ipsis 3. c) ipsis de-
est 1. d) dabant 2. dabuntur 3. e) custodes 4.4'.4''. f) conservientibus 2. g) proch add. 1. h) venerabilis 2.
i) corporis deest 4.4'.4''. k) reripere 4'. l) sive 2.4.4'.4''. m) videlicet 2.3. n) sibi 1.X.